quens, in quo eſt impleta conditio. Quintò, quia imperfectio qualiſcumque illa ſit, eſt impertinens ad reſervationem. Nam votum religionis, etiamſi fiat intuitu honorum, & commoditatum temporalium, & ex ea parte ſit imperfectum ex parte motivi, eſt reſervatum; quia imperfectio eſt in ſolo motivo, ſeu applicatione ad vouendum. At idem contingit in voto conditionali, in quo etſi motivum vouendi ſit minùs perfectum, at conſenſus eſt plenus, & pro tempore, in quo poſita fuerit conditio, eſt abſolutus. Cujus ſignum eſt, quod poſita conditione tranſit in abſolutum, & conſummat contractum per ſolam objecti mutationem. Et confirmatur, quia etiam motivum eſt imperfectum, quando votum ſit ſub conditione de præterito, aut de præſenti, & tamen non impeditur reſervatio, ut diximus *n.96.* Ultimò probat, quia quando vota conditionalia ſunt ſub conditione impetrante aliquid à Deo, initur quidam contractus cum Deo, *facio, ut facias*, & major ratio obligationis videtur in illo, quàm in obligatione abſoluta, & gratuita; ut ſimiliter contingit inter homines. Ergo cum jam Deus ex parte ſua impleverit conditionem, nequibit Epiſcopus in eo voto diſpenſare, ac ſi eſſet abſolutum, imò & minùs, quàm ſi eſſet abſolutum. Et ideò dicendum eſt vota hæc conditionalia rei reſervatæ, eſſe perinde reſervata impleta conditione, ac ſi eſſent abſoluta.

99 Tertia ſententia ait, Epiſcopum poſſe diſpenſare in his votis conditionalibus, non ſolùm ante, ſed & poſt impletam conditionem. Quam amplexus ſum *lib.8. de matrim. diſputat.10. n.13. & ibi* Doctores illiùs retuli, & ſcio viros doctiſſimos noſtri temporis eam tenere, & eam quoque nunc tamquam probabiliorem amplector. Ducor, quòd ad diſcernendam Epiſcopi poteſtatem ad diſpenſandum in his votis, non ſola obligatio ſpectanda ſit, quæ impleta conditione ex his conſurgit; aliàs nec in voto pœnali rei reſervatæ, poſſet Epiſcopus diſpenſare impleta conditione, utpote quòd tunc inſtar abſoluti obligat. Quod tamen eſt contra *ipſummet Suarez, &* alios Auctores contrariæ ſententiæ; ſed initium quoque, ac radix illius obligationis ſunt attendenda, atque ſi ea à perfecta voti reſervati natura, & perfectione deficit, poterit Epiſcopus diſpenſare. Quia etſi impleta conditione obligatio jam ſit abſoluta, at radix illius obligationis fuit imperfecta. Hæc autem imperfectio invenitur in voto conditionali, radix enim ejus obligationis fuit imperfecta voluntas à futuro eventu pendens, quæ in ipſa obligatione quaſi imbibita manet, ſemper enim eſt verum dicere ortam eſſe eam obligationem ex conſenſu quodam imperfecto. Ergo poterit Epiſcopus in eo voto etiam impleta conditione diſpenſare. Nec obſtat, quod dicit *Suarez*, hoc eſſe argumentari ex re incerta ad rem incertiorem. Nam fateor tam in votis pœnalibus, quàm etiam in conditionalibus, eſſe incertam, & ſub opinionibus hanc Epiſcopi poteſtatem ad diſpenſandum, at ſicut ex neceſſariis licet argumentari ad neceſſaria, ita ex probabilibus ad probabilia. Et ita qua ratione hæc opinio admittitur, ut probabilior in votis pœnalibus, eſt quoque, ut talis admittenda in conditionalibus. Quia, ut ſtatim videbimus omnes rationes factæ contra vota conditionalia, militant etiam contra pœnalia. Secundò, quia quamvis majorem rationem poteſtatis diſpenſandi in votis pœnalibus eſſe videam, quàm in purè conditionalibus. At ſuo etiam modo in conditionalibus militat; & ideò retenta ea opinione in pœnalibus, ob odium reſervationis, & neceſſitatem illius reſtringendæ, eſt idem dicendum in votis merè conditionalibus. Et confirmatur, quia ſi res attentè ſpectetur, non eſt præciſa ratio, ut concedamus poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis conditionalibus pœnalibus impleta conditione, quod ea vota non ex directo affectu ad rem promiſſam orta ſint, imò cum deſiderio vitandæ obligationis illius. Quia ſublata imperfectione conſenſus conditionalis, quantumcumque ea imperfectio ſit, non poterit in eis reſervari, nequit Epiſcopus diſpenſare. Ut conſtat in voto, cujus conditio eſt de præterito, aut præſenti, quam vovens nullo modo vellet ita eſſe, imò eam quaſi impoſſibilem reputans, vouet ſub illa religionem eò quòd conditio illa non ſuſpendat conſenſum, ſed ille ſit abſolutus, denegatur Epiſcopo poteſtas diſpenſandi. Ut ex omnium mente diximus *n.88. & 96.* Et tamen tunc non fertur directa voluntas in religionem promiſſam, imò enixè deſiderat vouens eam obligationem non contrahi. Atque eadem imperfectio repetitur ſæpè in votis purè conditionalibus, nempè, quoties vouens deſiderat conditionem non impleri, ut ſi quis odio nouercali religionem proſequatur, & timens patri diſplicere, illam promittat ſub conditione, *ſi patri placuerit*, vel timens pauperem, & ſordidam vitam, ac ignominioſam, illam promittat ſub conditione, *ſi meæ facultates naufragio perierint*, vel *ſi beneficium, quod conſequi intendo, non obtinuero*, & tamen in his votis, utpote merè conditionalibus dicit oppoſita ſententia, non poſſe Epiſcopum impleta conditione diſpenſare, etſi enim hæc non explicet, loquitur generaliter in omnibus. Ergo ſi illa ratione dicit, poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis pœnalibus impleta conditione, debet idem dicere in his votis. Eò vel maximè, quòd religio promiſſa in his votis promiſſa ſit minùs voluntaria, quàm in merè pœnalibus, in illis enim conditionis eventus, ex quo oritur obligatio, evenit omnino contra voluntatem vouentis, & toto ſuo conatu illum impedire procurat, in pœnalibus autem voluntariè admittit conditionem. Tertiò, quia *ipſe Suarez*, & multi ex Doctoribus contrariæ ſententiæ admittunt votum impuberis poſſe poſt pubertatem irritari à patre, quando poſt illam nulla noua voluntas confirmans acceſſit. Et reddunt hanc rationem, quòd votum illud fuerit cum judicii imperfectione emiſſum, eaque imperfectio ſemper durat. Nam ab illo eſt præſens obligatio contracta. At idem videtur in caſu præſenti, quia obligatio voti impleta conditione non oritur ex nouo voluntatis actu, nullus enim talis eſt, ſed ex præterito, qui non fuit ex plena deliberatione, & conſenſu offerendæ illius rei Deo, ſed quaſi mercenariè, & dependenter ab euentu conditionis, atque hæc imperfectio, quæ in priori voluntate extitit, manet ſemper in radice, ſemper enim eſt verum dicere obligationem præſentem ortam eſſe ex illa imperfecta voluntate. Quartò, quia ferè ſemper vota hæc conditionalia non procedunt ex religionis, aut caſtitatis affectu, ſed ex amore rei poſitæ ſub conditione, quam vovens obtinere cupit, & ut faciliùs eam comparet, offert Deò ea vota, ſicut nec vota pœnalia procedunt ex affectu rei promiſſæ. Quintò, quia non videtur ſtare poſſe Epiſcopum diſpenſare in his votis conditionalibus ante impletam conditionem, & non poſt, ut dicit contraria ſententia, ſed illo conceſſo eſt hoc quoque concedendum. Quia cum diſpenſatio illa extinguat totum jus Deo quæſitum per votum, jus autem Deo ex voto conditionali acquiratur, ut ſuperetur conditionis euentus, & illo ſtante impleatur votum, diſpenſatio illa fertur in utrumque tempus. Et ita videmus in humanis, ejuſdem ſolius eſſe auferre jus quæſitum alicui ex contractu conditionali ſive ante, ſiue poſt impletam conditionem. Et ita Epiſcopus nequit æquè relaxare juramentum conditionale factum homini, ſiue ante, ſiue poſt impletam conditionem. Et ſimiliter ſi excommunicationis ſynodalis adversùs homicidas latæ abſolutionem ſibi Pontifex reſeruaret, ſi quis ſub conditione juberet interfici hominem, & jam id vitare nequit, ſicut non poſſet Epiſcopus poſt impletam conditionem auferre illam cenſuram, ſuppono illam adversùs mandantes etiam latam eſſe, ita nec poſſet diſpenſare, nec poſt impletam conditionem, & ſecuto homicidio ea reſervatio incurreretur, quamvis ea ſit odioſa, utpote quæ jus aufert Epiſcopo abſolvendi ab excommunicatione, à qua jure ordinario poterat. Tandem, quia omnia argumenta adducta *num. præced.* militant contra ejuſdemmet *Suarez*, & aliorum Doctorum ſententiam dicentem poſſe Epiſcopum diſpenſare in voto conditionali pœnali, impleta conditione, & ideò in utraque ſententia eſt neceſſariò illis ſatisfaciendum. Prima ratio *ibi* adducta idem probat in voto conditionali pœnali; nam cum ſit verè conditionale, impleta ea conditione eſt obligatio ita abſoluta, ac ſi à principio abſque conditione contracta eſſet. Et ideò reſpondetur impleta conditione, vota ſiue pœnalia, ſiue purè conditionalia eſſe abſoluta quo ad vim obligandi, non tamen, quo ad radicem ex qua proceſſere, eſt enim in illis imbibita ea radicis imperfectio. Confirmatio etiam idem probat in votis pœnalibus, nam contractus alii conditionales pœnales, impleta conditione ſunt ita perfecti, ac ſi abſque conditione eſſent & pariunt eoſdem effectus morales etiam odioſos. Et ideò reſpondeo eſſe ita perfectos, quo ad vim obligandi, & producendi effectus intrinſecos, qui ex actus natura proficiſcuntur; non autem quo ad producendos effectus, qui non ex ipſo actu, ſed ex voluntate aliena ortum habent. Nec obſtat excommunicationem, & alias cenſuras habentes ortum ex voluntate humana aliena tunc incurri. Quia illæ ſolam facti veritatem reſpiciunt, nempe, veram clerici poſſeſſionem, veram beneficii venditionem, quæ impleta conditione verè reperiuntur. At reſervatio votorum pœnalium, & conditionalium, reſpicit perfectionem voluntatis in iis votis dicandis Deo, quæ in ſua radice eſt imperfecta in utriſque ſecunda etiam ratio æquè militat in votis conditionalibus pœnalibus, nam ſi impleta conditione eſſet in illis conſenſus perfectus, & abſolutus, nequiret etiam Epiſcopus in illis diſpenſare. Et ideò reſpondeo negando eam repugnantiam, nam etſi obligatio ſit effectus conſenſus non eſt opus obligationem abſolutam oriri ex conſenſu abſoluto, & perfecto, ſed ex conſenſu conditionali, & imperfecto oritur obligatio conditionalis, & imperfecta in principio, & ante eventum conditionis, abſoluta autem, & perfecta poſt illum. Nam priori conſenſu immutato oritur hujuſmodi obligatio, imò etſi tempore impletæ conditionis vouens ille mutarit voluntatem, aut oberit. Vel ſecundò reſpondetur obligationem à ſui initio, ac in ſua radice perfectam; debere oriri ex conſenſu perfecto, ſecùs de obligatione, quæ in ſui radice fuit imperfecta. Tertià ratio idem prorſus probat in voto pœnali conditionali; nam ſi diſpenſatio caderet in ſolam obligationem præſentem independenter à ſui origine, ſicut hæc eſt abſoluta, ita caderet in votum abſolutum, & proinde Epiſcopus diſpenſare non poſſet. Dicendum eſt igitur diſpenſationem cadere in obligationem præſentem, non quidem independenter à ſui origine, ſed dependenter, & cum illa fuerit imperfecta, non includitur ſub reſervatione voti perfectè abſoluti, quale debet eſſe, ut cenſeatur reſervatum. Quarta etiam ratio, & ſua confirmatio probat idem in

votis

votis pœnalibus, quia potiſſima ratio poteſtatis diſpenſandi in eis eſt, ea non eſſe abſolutè emiſſa, & cum quauis imperfectione, ſi abſolutè emittantur, ſunt reſeruata. Ut ſatis probauimus. Et ideo dicendum eſt, imperfectionem repertam in his votis non eſſe ſuſpenſionem conſenſus: hic enim neutiquam ſuſpenditur, ſed ſtatim elicitur integrè ad producendam totam obligationem, juxta temporum varietatem; quare pro nullo tempore eſt abſolutus verè, ſed obligatio eſt, quæ ſuſpenditur, & pro temporum varietate conſummatur, ad quam varietatem ſatis eſt ille conſenſus conditionalis. Quinta etiam ratio cum ſua confirmatione militat ſimiliter in votis pœnalibus. Nam ſi ad reſeruationem eſt impertinens imperfectio in origine voti contingens, nequibit etiam in illis impleta conditione Epiſcopus diſpenſare. Et ideò negandum eſt eam eſſe impertinentem; nec eſt ſola imperfectio in motiuo applicante ad vouendum, ſed eſt imbibita in ipſo actu vouendi, & conſenſu, quæ imperfecta fuere, nec deliberata ad rem promiſſam dicandam Deo dependenter à futuræ conditionis euentu. Nec obſtat ſimile de votis, quando eſt conditio de præterito, aut de præſenti; quia ſimiliter in votis pœnalibus ſub eiſdem conditionibus nequit Epiſcopus diſpenſare. Ut *nu.88.* probauimus, ubi rationem differentiæ tradidimus. Ultima etiam ratio idem probat in votis pœnalibus per modum contractus emiſſis. Ut ſi quis petat à Deo aliquod beneficium, vouens eo conceſſo gratiarum actionem ſe non luſurum, quòd ſi luſerit, ſe in pœnam ingreſſurum religionem, & ſic dicendum eſſet non poſſe Epiſcopum in hoc voto pœnali, diſpenſare; cum tamen adverſarii concedant Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi in omni voto pœnali, etiam impleta conditione. Quare reſpondendum eſt, cum Deo non iniri contractum illum, *facio ut facias*; eſt enim de hujus contractus ratione obligatio mutua. Deus autem non obligatur ad id beneficium impertiendum. Et ſi loquendum eſſet inſtar hujuſmodi contractuum inter homines, non caderet diſpenſatio in id votum conditionale, etiam ante conditionem impletam. Quare quidquid ſit de majori, vel minori obligatione hujus voti, quàm abſoluti, eſt differens ratio quo ad reſeruationem. Quòd in abſoluto non reperiatur imperfectio, quæ in conditionali.

CAPUT XLI.

De Epiſcopi poteſtate ad diſpenſandum cum ſucceſſoribus populi, in votis prædeceſſorum, & in votis factis in commodum tertii, abſque illius conſenſu.

SUMMARIUM.

Quot difficultates enodandæ ſint? n.1.

An poſſit diſpenſare in votis populi reſpectu emittentium, ita ut diſpenſatio abſque cauſa valeat? n.2.

Quid reſpectu aliorum ejus communitatis, aut ſucceſſorum? Referuntur probantia partem negantem, n.3.

Explicatur ſententia Auctoris, & ſolvuntur contraria, n.4.

An poſſit ipſe populus communi conſenſu ea obligatione liberari? num. 5.

Poſt n.5. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

1 DUplex difficultas petitur in præſenti. Prior eſt de votis populi. Poſterior de votis in fauorem tertii.

2 Prior difficultas eſt. Qualiter Epiſcopo integrum ſit diſpenſare in votis populi, & cujuſcumque communitatis. Et quidem, aut loqui poſſumus reſpectu ipſorum, qui votum emiſere, aut reſpectu reliquorum ejus communitatis, ſucceſſorumque. Si loquamur reſpectu ipſorum emittentium votum, conſtat Epiſcopum poſſe diſpenſare, non tamen abſque juſta cauſa. Quia id votum non eſt ex quinque reſeruatis; cum tamen ſit vera diſpenſatio in voto, exigit ad ſui valorem cauſam. Et ita docet *Suarez tomo ſecundo, de religione, in tractatu de voto, libro 4. capite nono, num. undecimo.*

3 Si verò loquamur reſpectu aliorum ejuſdem communitatis, aut ſucceſſorum, videtur Epiſcopum non poſſe diſpenſare, aut ſaltem non poſſe abſque cauſa. Prius perſuadetur, quòd illi non ex voti vinculo teneantur, ſed ex vi ſtatuti à populo ſanciti. Ut diximus *hoc l.4. cap.15.* Poſterius autem, quòd ea obligatio ex voti religione ortum habuerit, ac conſenſus populi vouentis fuerit cauſa principalis obligandi alios, ac transferendæ ejus obligationis in ſucceſſores, per modum ſtatuti; quamuis conſenſus Epiſcopi concurrerit tamquam conditio requiſita ob firmitatem. Sicut inſtitutor primogenii in præjuditium legitimæ filiorum, eſt principalis cauſa ejus, quamuis abſque regia licentia ſubſiſtere nequeat. Ergo nequibit Epiſcopus validè abſque cauſa diſpenſare.

4 At jure optimo *Suarez* relatus *n.2.* dicit poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſicut poteſt in ſuis præceptis, & in feſtis à ſe indictis: atque ita diſpenſationem fore validam, quamuis abſque cauſa fiat. Quia alii ejus communitatis, & ſucceſſores, non tenentur ex voti religione, ſed ex ſtatuto, ac Epiſcopi præcepto, abſque quo nullatenus obligari poſſunt. Ut diximus *c.15.* atque ideò per diſpenſationem illam non tollitur propria voti obligatio, ſed ſtatutum quoddam Epiſcopi. Ergo poterit Epiſcopus in eo diſpenſare, ſicut in aliis particularibus ſuæ diœceſis præceptis, in quibus valida eſt diſpenſatio abſque cauſa. Et confirmatur, quia, quamuis ad feſta indicenda exigatur unà cum Epiſcopo conſenſus populi, & cleri, *c. Conqueſtus de feriis*, id non obſtat, quo minus Epiſcopus ſolus poſſit poſtea in eis diſpenſare, tamquam in ſua lege. Quod etiam praxis probat.

5 Hinc deducitur, nec vouentes, nec alios, nec ſucceſſores, poſſe communi conſenſu ſe hac obligatione liberare. Quia illi tenentur ex voto, hi autem non ſtatuto populi, ſed Epiſcopi: Etſi populus quoque concurrerit.

SUMMARIUM.

An in votum emiſſum in tertii favorem cadat diſpenſatio, & commutatio, abſque illius tertii conſenſu? Refertur opinio, num. 6.

Explicatur ſententia Auctoris, n.7.

An id votum poſſit commutari propria auctoritate? n.8.

An delegata diſpenſandi, vel commutandi poteſtas, extendatur ad hæc vota? n.9.

Quid, ſi promiſſio non in ſolum Deum, ſed in certam Eccleſiam, certumve pauperem dirigatur, ipſis abſentibus? Refertur quædam ſententia, n.10.

Enodatur ſententia Auctoris, n.11.

Quid, ſi promiſſio dirigatur in ipſum ſanctum, cui Eccleſia dicatur? num.12.

Quid, ſi promiſſio non ſoli Deo, ſed etiam certæ Eccleſiæ, præſente illius rectore, aut certo pauperi præſenti fiat? n.13.

Quando cenſeatur promiſſio fieri utroque modo, ita ut jus pauperi illi, vel illi Eccleſiæ acquiratur? n.14.

An poſſit in eo voto diſpenſari, idve commutari, relicta promiſſione humana in ſua vi? n.15.

An poſſiat tunc Pontifex, & interdum Epiſcopus, aut præfectus illius loci, remittere illam obligationem? n.16.

An quando promiſſio ſit utrique ſimul; at principalis animus eſt in Dei honorem, ſubdatur id votum diſpenſationi, aut communicationi, abſque illius tertii conſenſu? Refertur quædam ſententia, num.17.

Explicatur ſententia Auctoris, n.18.

Quid in dubio hujus intentionis? n.19.

1 POſterior difficultas. An poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto emiſſo in fauorem tertii, illudve commutare abſque illius tertii conſenſu. Ut ſi quis promittat Deo ſe daturum certæ Eccleſiæ calicem, aut certo pauperi eleemoſynam, aut ſe miniſtraturum certo Xenodochio? Quibuſdam pars negans placet. Ducuntur, quòd ex eo voto jus acquiratur illi tertio; idque probant; nam vouens poteſt ad illius tertii inſtantiam compelli votum id exequi, inuocato per eum judiciis officio. Ut probaui *hoc lib. 4. capite 11.* Quod fieri non poſſet, niſi jus ad illam rem promiſſam acquireret. Secundò, quia favore cauſæ piæ valent donatio, & promiſſio in abſentia facta, & abſque acceptatione, & jus acquirit cauſa illa pia. Sicut tenet multi, quos retuli *libro 1. de matrimonio, diſputat.6. num.16.* Et ideò hanc partem tuentur *D. Antonin. 2. p. titulo undecimo, cap.1. §. ultimo, verſic. De temporali ſubſtantia, Roſella in ſumma, verbo Votum 5. num.7. Raynerius, & Directorium*, ut refert *Sylveſter num. ſequenti* citandus, *Sarmiento libro de redditibus Eccleſ. p. 4. cap.3. numer. 3. & 4. & in defenſorio illius 1. p. monito ſeptuageſimo primo*, ubi dicit ex voto facto Eccleſiæ acquiri jus ipſi Eccleſiæ, poſſe autem Pontificem id votum commutare, ita ut commutatio reſpiciat illiuſmet Eccleſiæ utilitatem, & non aliter. At quando locus pius eſſet indeterminatus, ait poſſe Pontificem etiam contra vouentis voluntatem habere arbitrium.

7 At multò verius eſt, poſſe in hujuſmodi votis commutationem, & diſpenſationem fieri à prælatis Eccleſiæ, abſque conſenſu illorum, in quorum utilitatem cedunt, inſtar aliorum votorum, quæ in ſolius Dei honorem ſunt. Ratio eſt, quia cum hujuſmodi vota fiant principaliter Deo, & in ejus honorem, obligatio ipſi acquiritur, & ipſe eſt propriè creditor; & Eccleſia, pauperve tantùm deſignantur, ut materia, circa quam is cultus eſt Deo exhibendus. Ergo ad illa reuocanda per diſpenſationem, aut commutationem, ſolus Dei, & prælatorum ejus vices gerentium conſenſus exigitur, ſicut in aliis votis in nullius fauorem cedentibus. Secundò, quia (ut probaui *hoc lib.4. cap.11.*) non competit illi loco pio jus aliquod compellendi per modum actionis, ſed ſola utilis actio implorandi officii judicis, ut compellat vouentem exequi votum. At quoties hæc ſola actio competit alicui, non dicitur haberi jus ad rem. Ut conſtat in fratribus Minoribus, qui ad legata illis relicta ſoluenda poſſunt implorare officium judicis; cum tamen nullum jus ad ea comparent. Sicut utrumque probabo *hoc tractatu lib.7.* agens de paupertate fratrum horum. Tandem, quia multò probabilius eſt, non acquiri jus locis piis ad promiſſiones, & donationes ipſis factas, donec acceptent. Ut probaui *lib. primo de matrimonio, diſputatione 6. numero 16.* & ex his conſtat ſolutio ad rationes contrarias. Et confirmatur, quia (ut *libro ſequenti* videbimus) omnia vota realia commutantur in

Ll reli-

religionis profeſſionem. Quod minimè fieret, ſi jus per ea eſſet tertio quæſitum; ſicut nec debita commutantur. Et ideò hanc partem tuentur *Cajetan.* relato *Guillelmo, in ſuis quodlibetis, tomo 2. tractatu 11. qui eſt de voto qu. 3. Angelus in ſumma, verbo Votum 3. num.26. Piſana verbo Votum 6. num. 3. Sylveſt. verbo Votum 4. q.7. dicto 4. Armilla verbo Diſpenſare n.21. Tabiena verbo diſpenſatio, quæſt.12. num.14. ad finem, Navarr. ſumma Latina, & Hiſp. c.12. num.78. & tract. de redditibus Eccleſ. in noua editione, qu. 1. monito 60. per totum, in antiqua autem apologia in librum de redditibus, qu.1. toto monito 71. Palatios 4. d. 38. diſput.3. col.30. à verſ. At verò vota fol.877. Angles floribus 2. parte quæſt. unica de voto, articul.8. difficult. 6. poſt ſecundam propoſitionem, Graffis 1.p. deciſionum, l.2. c.30. num.11. & 12. Ludov. Lop. 1.p. inſtructorii conſcientiæ cap.49. verſ. penult. Tapia authentica Ingreſſi, verb. Ipſo ingreſſu, in principio num.14. C. de ſacroſ. Eccleſ. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. capit.8. immediatè ante tractatum de commutatione votorum, Al primer argumento, Manuel quæſt. regularibus tomo 1. quæſt.63. art.4. Leonard. lib. 2. de juſtit. cap.40. d.11. num.90. & capit. 42. dub. 12. n.58. Enriquez lib.7. de indulgentiis, cap.30. num. 5. in commento, litera K, & n.6. Vivaldus candelabro ſacram. 3. part. c.14. nu.16. Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de irritat. num.14. Sayro in claui regia, lib.6. c.11. n. ult. Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib.11. c.19. q.12. Suar. tomo 2. de religione, tract. de voto l.6. c.15. à n.3. uſque ad 6.*

8 Ait tamen *Sylveſt. n. præced.* relatus non poſſe hujuſmodi vota commutari in melius propria vouentis auctoritate. Et idem tenet *Enriquez lib.5. de pænitent. c.20. n.5. in commento litera S, & lib.7. de indulgentiis, c.30. num. 5.* At dicendum eſt poſſe. Quia cum per ea nullum jus tertio acquiratur, eſt de illis judicandum perinde ac de votis in Dei ſolius honorem factis. Atque ita docent *Graffis n.11. Vivaldus, Sayro n. præced.* relati, *Leonard. eo. cap.40. dub.11. n.90. Suarez eodem libro 6. cap.18. n.11.*

9 Hinc deducitur delegatam diſpenſandi in votis poteſtatem, eave commutandi, extendi ad hæc vota. Quod probat ratio tradita *num. præced.* Et docet *Suarez eod. libro 6. cap.15. n.11.*

10 Prædictam ſententiam temperant aliqui, ut intelligatur, quando promiſſio voti dirigitur in ſolum Deum, ut *promitto Deo, me daturum calicem tali Eccleſiæ, aut tali pauperi*, ſecùs ſi promiſſio in talem Eccleſiam, aut in talem pauperem dirigatur. Ut *promitto tali Eccleſiæ, aut tali pauperi*, tunc enim quantumvis in abſentia factum, non ſubjicitur diſpenſationi, aut commutationi. Quia tunc ſunt illi veri creditores, & jus illis acquiritur. Ita tradit *Azor.* relatus *n.7.*

11 Verùm hæc limitatio non placet. Quia, ut dixi *nu. 7.* eſt promiſſione, aut donatione factis cauſæ piæ, nullum jus illis acquiritur ante acceptationem, ac proinde vota illa manent, ſicut facta ſoli Deo, dum ea præpoſitus illi Eccleſiæ, aut pauper ille non acceptarit. Nec Deus ea vota acceptat, niſi quatenus in ſuum honorem redundant, quæ acceptatio in reliquis quoque votis invenitur. Atque ut jus irrevocabile acquiratur cauſæ piæ, eſt opus acceptatione more humano. Atque ita hujus ſententiæ ſunt clarè *Tabiena, Armilla, & Lud. Lop.* relati *nu. 7.* ajunt enim tunc acquiri jus Eccleſiæ per promiſſionem, quando ipſa ſciens acceptat, & non ante, etſi inſtrumento publico, & coram teſtibus fiat, & *Ang. Sylv. & Graffis ibidem* allegati: ajunt enim per id votum non acquiri jus, quia non fit eis acceptantibus, aut aliis pro eis. Et *Sayro, & Vivaldus ibidem* relati, *& Suar. eod. c.15. numer. 2. in fine*: ubi petunt acceptationem rectoris Eccleſiæ, ut jus irrevocabile acquiratur. Et in propriis terminis docet *Leonardus l.2. de juſt. c.40. dub.11. n.90. & c.42. in dubio 12. num. 58. in fine.*

12 Poſſet tamen apparentiùs prædicta ſententia limitari, ut intelligatur, niſi promiſſio dirigatur in ſanctum, cui dicatur Eccleſia. Ut *promitto D. Franciſco me daturum ejus Eccleſiæ calicem.* Quia cum ea promiſſio ſit in ſancti illius honorem, ipſique ſit grata, ac ſtatim cognita; acceptatur utique ſtatim ab illo, tamquam à vero creditore. Sed nec hæc limitatio placet. Quia cum votum ſit promiſſio Deo facta, & ſic intelligatur, quamvis fiat ſancto, omnia in eo voto reperta intelligenda ſunt juxta ipſius voti naturam, nempe, ut ſoli Deo jus quæratur. Præterea quia Deus, & beati quo ad hoc conſtituuntur quaſi ſub eodem foro, ut vicarii Dei poſſint in jure ſanctis acquiſito diſpenſare, idque commutare, ſicut utrumque poſſunt circa jus Deo quæſitum. Sicut etiam per indulgentias non ſola Chriſti merita, ſed etiam ſanctorum diſtribuunt. Præterea, quia talia vota non fiunt ad humanam ſancti utilitatem, ſed ad religioſum illius cultum, & fructum ſpiritualem vouentium. At utrumque eſt ſub prælatorum regimine. Tandem, quia cum voluntas illius ſancti ſit omnino diuinæ conformis, eligit quoque id, quod Deo eſt gratius, nempe, bonum melius, in quod commutatio fit propria auctoritate, & id votum ſubdi diſpenſationi, & commutationi prælatorum. Atque ita docent *Cajetan. in ſuis quodlibetis, tomo 2. tractatu 11. qui eſt de voto, quæſtione tertia, verſic. Nec oportet in hujuſmodi votis; Leonardus lib.2. de juſtitia cap.40. dubio 11. num.90. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto lib.6. c.15. num. 10.* explicans ſive id votum fiat Deo in illius ſancti honorem, ſive ſoli Deo, ſive Deo, & ſancto ſimul.

13 Quando autem vota hæc in commodum tertii facta, non ſoli Deo fiunt, ſed adjungitur quoque promiſſio facta illi tertio, & ab eo acceptatur, manifeſtum eſt id votum non ſubdi ordinariæ prælatorum poteſtati diſpenſandi, aut commutandi, abſque illius tertii conſenſu. Dixi autem, *ordinariæ poteſtati*, propter limitationem *n.16.* apponendam. Et ratio eſt aperta, quia tunc tranſit in contractum, & acquiritur jus illi tertio, quod ipſo invito remitti nequit. Et in hoc nullus dubitat ex Auctoribus relatis *numero ſeptimo* pro noſtra ſententia, & in hoc caſu eſt vera ſententia relata *numero 6.*

14 Promiſſionem verò ſoli Deo fieri, an etiam homini, dicunt benè *Cajet. eod. tract.11. q.3. & Suarez eod. c.15. n.2.* pendere ex vouentis intentione, quæ ex verbis colligenda eſt. Si enim utatur ſolo verbo vouendi, ſeu promiſſio ad ſolum Deum dirigatur, ut *promitto Deo me daturum pauperi*, cenſetur ſoli Deo facta promiſſio. Quia tunc nullus cum homine initur contractus, ſed tota promiſſio fit Deo, pauper autem ille ſe habet, ut ſolum objectum, circa quod id obſequium Deo promiſſum verſari debet. Si autem dirigatur ad pauperem illum, ut *promitto Deo me tibi daturum*, tunc utrique fit promiſſio. Quod idem docet *Leonardus eod. dub. 11. num.90.* Ex quo colligo quamuis in priori caſu pauper ille eſſet præſens, & acceptaret, ejus acceptationem non impedire facultatem diſpenſandi, & commutandi. Quia non acquirit aliquod jus ex ea promiſſione, utpote quæ ipſi facta non eſt.

15 Quòd ſi quæras, an poſſit diſpenſari in hoc poſteriori caſu in illa voti obligatione, manente promiſſionis humanæ vinculo; ſicut in votum rei præceptæ cadit diſpenſatio, manenti præcepti nexu. Breuiter reſpondeo cum *Suarez c. 15. num.8.* id ex natura ſua non repugnare, ſiue ſeorſum fiat utraque promiſſio; ſiue conjungantur. Quia promiſſio voti cadit in promiſſionem humanam illam confirmando; at in priori caſu dari faciliùs cauſam, quàm in poſteriori, in quo raro poteſt ea cauſa ſubeſſe. Quia tollendo id vinculum eneruatur promiſſio facta homini, ex qua jus ille comparat.

16 In duplici autem caſu poteſt tolli obligatio voti facti in commodum tertii, non obſtante illius acceptatione, & jure ſibi quæſito. Prior eſt, quando ea boni communis juſta cauſa concurreret, ut integrum eſſet Pontifici cogere privatum ad cedendum jure ſuo, vel illum bonis ſuis priuare. Aque ita docent *Angel. verb. Papa n.6. & ibi Sylv. q.13. Suarez eo c. 15. n.7.* Poſterior eſt, quando præfectus illius loci pii, cui promiſſio facta eſt, haberet poteſtatem remittendi, aut compoſitionem faciendi in debitis illius. Et ita docent *Armilla verbo Diſpenſare n.21. Tabiena verbo Diſpenſatio, q.12. n.13. Ludov. Lop. 1.p. inſtruct. conſcientiæ, c.49. verſ. penult. Suarez eod. n.7.* Qui benè addit in hoc caſu non eſſe exceptionem à regula poſita, quia adeſt tunc remiſſio creditoris. Hunc autem prælatum dicit *Tabiena ibi*, eſſe Pontificem in toto orbe, & Epiſcopum in ſua diœceſi. At *Sylveſt. verbo Votum 4. q.7. dicto 4.* expreſſè ait non poſſe id votum commutari per ſuperiorem, niſi, ut *ipſemet* dixit *verbo Papa*, ubi *qu.13.* tamquam ſpeciale id concedit Papæ, & magna cauſa interueniente. Et *D. Antonin. 2. p. tit.11. c.1. §. ult. verſ. De temporali ſubſtantia, & Boſella verbo Votum 5. n.6.* hoc ſolùm concedunt Epiſcopo, quando Eccleſia, cui eleemoſyna illa eſt promiſſa, fuit deſtructa, vel alia hujuſmodi cauſa concurrit. Et *Suarez eo. nu.7.* tantùm dixit id interdum poſſe Epiſcopum. Et ideò poteſtas ejus non eſt reſtringenda ad ſolum eum deſtructionis Eccleſiæ caſum, ſed ex quantitate rei promiſſæ, & circumſtantiis occurrentibus id librandum eſt. Sicut in aliis Eccleſiæ debitis.

17 Tandem dubitatur, an cum promiſſio facta Deo, & homini acceptanti, non fit propter hominis illius utilitatem, ſed principaliter propter Dei cultum, & homo ille pauper electus eſt, ut materia, circa quam exercendus eſt is cultus Dei, poſſit commutari, in eaque diſpenſari, abſque illius hominis conſenſu. Affirmant aliqui. Ducunturq; quòd profitens non ſe ſoli Deo obliget, ſed etiam ſuæ religioni ſe & ſuas actiones tradit, illaque acceptat; & tamen poteſt religione invita ad meliorem tranſire, *c. Licèt de regular.* Cujus rationem reddit *Cajetan. 2. 2. q.88. art.12. paulo poſt principium, verſic. Ad hujus evidentiam*, ubi ait in *eod. c. Licèt*, nil noui juris ſtatui, ſed declarari, quod ex ipſa rei natura competit, nempe, poſſe quempiam votum in euidenter melius commutare, propria auctoritate. Et quærit, qualiter id fieri poſſit, cum non ſoli Deo ſit votum emiſſum; & reſpondet hæc: *Ratio, cur quis poteſt in tali caſu præjudicare prælatis, & religioni priori eſt, quia non propter ſeipſos, ſed propter Deum, prælatis, & religionis data eſt religioſi perſona. Et propter hoc ſolius Dei ratio habetur in hujuſmodi commutatione.* Secundò, quia ceſſante fine præcipuo, & ultimato voti, ceſſat ejus obligatio. Ut ſupra diximus. Ergo cum finis præcipuus, & ultimatus hujus voti, qui eſt Dei cultus, ceſſet facta commutatione in majorem Dei cultum, aut ex juſta cauſa diſpenſante, vel commutante prælato nomine Dei, ceſſabit quoque voti obligatio. Quare juxta hanc ſententiam, ut exigatur conſenſus ejus, cui promiſſio facta fuit, neceſſe eſt promiſſionem fieri illi pauperi, vel rectori illius Eccleſiæ præcipuè ob illius priuatam, & naturalem utilitatem. Et ideò hujus ſententiæ videtur apertè *Cajetan.* in verbis ejus proximè relatis. Ejuſdem videtur apertè *Navarr. l. 2. de reſtitutione capite primo, in nova editione, dubio tertio, numero 14.* ubi hæc ait: *Cum quis emiſit votum dandi alicui pio loco certam quantitatem, & poſtquam acceptata eſt, poſſet Pontifex Romanus illam commutare in alium uſum. Quòd principaliter*

paliter ex donatio, ſeu promiſſio ortum habuerit ex religione voti non ex lege juſtitiæ. Cum non ſit facta in gratiam, & utilitatem perſonarum illius loci, ſed principaliter in Dei cultum. Quare ſi quis ſine voto illam promitteret, vel donaret, vel alio contractu, Eccleſia, vel pius locus acquiſiuerit, nullo modo poſſet auferri. Et quamuis de ſolo Pontifice loquatur, ejus ratio idem prorſus probat de diſpenſatione, & commutatione factis per alios Prælatos, imò & commutatione facta in euidenter melius, propria vouentis auctoritate. Et ſi de ſolo Pontifice loqueretur, falſa eſſet poſterior pars. Quia etiam, quando bonum commune id poſtulat, poſſet in eo caſu auferre. Et ſic clarè loquitur de ordinaria Pontificis, & aliorum Prælatorum poteſtate, ad diſpenſandum, vel commutandum.

18 Verùm hoc ita uniuerſaliter dictum non audeo dicere. Quia Doctores omnes *n. 7.* relati ſola promiſſione facta homini, & ſimul Deo, ac ab homine illo acceptata contenti ſunt, ne liceat diſpenſatio, aut commutatio abſque ejus conſenſu. Præterea, quia negari non poteſt tunc etiam jus homini illi acquiri. Nec rationes contrariæ probant intentum. Non prior, quia non eſt illa legitima ratio, cur is tranſitus liceat, ſed quia in ea obligatione ineſt tacita conditio *niſi elegerit ſtrictiorem religionem*, jure ita ſtatuente in *d. c. Licèt*. Non etiam poſterior, quia non ceſſat ille finis, niſi legitimè factis diſpenſatione, & commutatione: hoc autem eſt, quod diſputatur, an poſſint legitimè fieri. In eo tamen caſu admitterem prædictam ſententiam, quando principaliter promiſſio fit in honorem Dei, non reſpiciendo etiam ſecundariò utilitatem ejus pauperis, aut loci pii; ſecùs quando ſaltem ſecundariò ratio hujus habita eſt, ob illius pauperis, aut loci paupertatem, vel ſpecialem affectionem; tunc enim non poteſt abſque ejus conſenſu cadere in id votum diſpenſatio, illudve commutari.

19 In dubio autem, an ſaltem ſecundariò habita ſit ratio illius pauperis, aut loci judicandum eſt habitam eſſe. Id enim ſignificat promiſſionem dirigi in eum pauperem, vel locum, ſi enim nec ſecundariò horum ratio habita eſſet, dirigeretur utique in ſolum Deum promiſſio.

CAPUT XLII.

In quibus religioſorum votis poſſint Prælati regulares diſpenſare?

SUMMARIUM.

Prælati regulares poſſunt in votis ſuorum religioſorum diſpenſare, ſicut Epiſcopus in votis ſæcularium ſibi ſubditorum, numero 1.
An poſſint in voto tranſeundi ad ſtrictiorem religionem? n.2.
An poſſint diſpenſare, ut profeſſi in ſtrictiori tranſeant ad laxiorem; & ut profeſſi ad chorum fiant laici? Remiſſivè, n.3.
An poſſint diſpenſari in votis de eorum licentia factis? n.4.
An poſſint diſpenſare in voto emiſſo de licentia altioris ſuperioris? num. 5.
An poſſint cum ipſis diſpenſare in voto non peccandi? n. 6.

1 JAm ex dictis *c.39. n.3.* conſtat Prælatos regulares poſſe diſpenſare cum ſuis religioſis exemptis, ſicut poſſunt Epiſcopi cum ſubditis ſuæ diœceſis.

2 Hinc deducitur primò, integrum eſſe his Prælatis diſpenſare in voto religioſi tranſeundi ad ſtrictiorem. Sicut poſſe Epiſcopum cum ſuis ſubditis in eo voto diſpenſare, diximus *c.40. n.74.* Nec obſtat prælatum regularem carere poteſtate irritandi ejuſmodi voti. Ut diximus *c.33. n.2.* Quippe eſt diſpar ratio, nam quo ad tranſitum hunc non ſubditur prælato ut domino, & ſubjectione propria religioſus, cum hic minimè includatur in iis, quæ ad obedientiæ votum pertinent. At ſubditur prælato, ut ſuo ſpirituali prælato, ſicut ſæculares Epiſcopo ſubſunt; ac proinde poterit cum illo diſpenſare, ac poteſt Epiſcopus cum ſæcularibus. Præterea, quia irritare eſt voluntatem ſubditi ratione dominii in eam coercere, quod nequit prælatus reſpectu hujus tranſitus. Diſpenſare autem eſt, ſpontaneæ ſubditi petentis diſpenſationem voluntati annuere ratione ſpiritualis in ipſum poteſtatis. Atque ita docent *D. Anton. 2.p. tit. 11. cap. 2. §. 9. verſ. Hoc autem videtur, Sotus lib.7. de juſt. quæſt. 3. artic. 1. dubio 2. columna 5. verſ.3. operum ordo eſt, & quæſt.4. articulo 3. col. 5. verſ. Sequitur ſubinde, Nauarr. commentario 4. num.22. de regul. & l.3. conſiliorum, tit. de voto, in priori editione conſil.30. num.3. in poſteriori, conſ.40. num.3. Angles floribus 2.p. quæſtione unica de voto, art.8. diffic.9. concl.6. Enriquez lib.7. de indulgentiis, c.22. nu.7. Aragon. 2. 2. qu.88. art.8. dubio 1. concl. 5. folio 1018. col. 2. Manuel 2. tomo ſumm. c.89. num.4. & Leonard. l.2. de juſtit. c.40. dub.13. num.107. in initio, Petrus de Ledeſma 2. tom. ſumm. tract. 10. c.7. dubio ultimo, dicto 1. Emmanuel Sà in ſumma, verb. Votum, ubi de voti irritat. num.18. Sayro in claui regia, l.6. c.11. n.90. & 91. Azor. tom.1. inſtit. moralium l.11. c.22. qu.12. Suarez tom. 2. de relig. tractatu de voto, lib.6. c.10. num. 15.*

3 An verò diſpenſare poſſit cum profeſſo in ſtrictiori, ut ad laxiorem tranſeat, & cum profeſſo ad chorum, ut fiat laicus: dicemus *l.6.* tractantes de voto obedientiæ.

4 Secundò deducitur, quamuis ſatis controuerſum ſit, an hi prælati irritare valeant votum ſua licentia emiſſum à religioſis, de quo egimus, *c.26. à num.7.* at certum eſſe poſſe eos in eo voto diſpenſare. Quia ſiue ea licentia præjudicet poteſtati dominatiuæ, ſiue non, nullatenus tamen præjudicat ſpirituali, à qua diſpenſatio manat, cum utraque poteſtas diuerſæ valde rationis ſit. Et confirmatur, quia concedendo eam licentiam, ſi dicamus poteſtate diſpenſandi priuari, aut ea priuatio debuit conſurgere ex propria voluntate, aut ex ſuperioris, aut ex natura rei, ſed nullo horum modorum conſurgit. Nam non ex propria voluntate, ſoli enim liberæ irritandi poteſtati antea competenti præjudicare cenſendus eſt velle cedendo aliquatenus jure dominii, poteſtatem autem ſpiritualem nullatenus minuit, nec minuere potuit. Nec ex voluntate ſuperioris conſurgit, de ea enim minimè conſtat, nec rationi conſonat, ut qui concedendo eam licentiam, nullius culpæ reus fuit, priuetur poteſtate ſpirituali diſpenſandi in eo voto. Nec demum ex natura rei conſurgit, quia ex ea licentia tantùm ſequitur votum eſſe firmitate majori munitum; at votum quantumuis firmum, ſubjicitur poteſtati ſpirituali diſpenſandi. Ergo poterit prælatus regularis in hujuſmodi voto diſpenſare. Et ita tradunt *Angelus in ſumma verb. Votum 4. numer. 8. Sylv. verb. votum 4. qu.3. dicto 9. Tabiena verb. Votum 5. qu. 4. n.5. in fine, Cajetan. 2. 2. qu. 88. art. 8. col. 3. verſ. Ad ejus euidentiam, ad finem, Aragon. 2. 2. q.88. art.8. fol.1019. verſic. Eſt aliud dubium, Suarez eod. c. 10. n. 17.* Quamuis immeritò dubitarit *Richard. 4. d. 38. articul. 4. quæſt.3.* dicens tutius eſſe alium ſuperiorem adire.

5 Tertiò deducitur, quamuis prælatus inferior irritare nequet votum licentia prælati ſuperioris emiſſum, ut diximus *cap. 27. n.4.* poſſe tamen illum in diſpenſare. Quòd optimè docet *Suarez eodem c.10. n.18.* Ratio autem differentiæ eſt. Quia cum irritatio pertineat ad poteſtatem dominatiuam, aduerſatur dominio ſuperioris, qui eam licentiam conceſſit. At diſpenſatio cum ſit diuerſæ poteſtatis, minimè illæ præjudicat.

6 Ultimò deducitur, poſſe quoque prælatum diſpenſare in voto religioſi, non committendi alicujus peccati. Sicut diximus *c.4. n.12.* poſſe Epiſcopum diſpenſare in hoc voto. Quia etſi religioſi non ſubdantur prælato quo ad obligationem ejus vitandi peccat, ſubduntur tamen quo ad nouam voti obligationem. Ita docent *Aragon. 2. 2. qu.88. art.8. dubio 1. concluſ. 4. f.1018. Manuel 2. tom. ſummæ cap.89. nu. 5. Sayro in claui regia, l.6. c.10. n.8. in fine.* Atque poſſe commutare id votum fatentur *Cajetan. 2. 2. qu.88. art.8. ad finem, in ſolutione ad penult. Angles floribus 2.p. qu. unica de voto, art.7. difficult.2. in 3. concluſione*, quamuis hic minùs benè neget poteſtatem diſpenſandi.

CAPUT XLIII.

De poteſtate delegata ad diſpenſandum in votis conceſſa religioſis.

SUMMARIUM.

Quæ qualitas requiratur in eo, cui hæc poteſtas committenda eſt? Et an cenſeatur conceſſa per ſimilis poteſtatis conceſſionem? numero 1.
An cenſeatur facultas ordinaria, quando conceditur etiam Epiſcopo circa vota reſeruata? n.2.
An intelligatur commiſſa ad diſpenſandum concurrente cauſa? n.3.
Proponuntur priuilegia religioſorum ad diſpenſandum in votis, n.4.
An cenſeantur fauorabilia, & latè interpretanda? n.5.
An virtute illorum poſſint diſpenſare in omnibus votis reſeruatis, quando Epiſcopus in eis diſpenſare poteſt? Proponuntur probantia non poſſe, n.6.
Explicatur ſententia Auctoris, n.7.
An poteſtas hæc extendatur ad vota emiſſa in fauorem tertii, & ad emiſſa ante, & poſt priuilegium, & ad vota jurata, & poteſtas delegata ad diſpenſandum extendatur ad commutandum, & è contra? Remiſſiuè, n.8.
An hoc priuilegium extendatur ad relaxanda juramenta caſtitatis, & religionis, & alia rerum reſeruatarum? n.9.
An poſſint religioſi diſpenſare in voto caſtitatis ante matrimonium emiſſo ad petendum debitum? n.10.
Quid, ſi nondum eſt conſummatum matrimonium, vel ſi alter in adulterium incidat? n.11.
Quid, ſi id votum eſt factum poſt matrimonium? n.12.
Quid, ſi ſit votum religionis, & non eſt matrimonium conſummatum? n.13.
An hæc facultas diſpenſandi in votis intelligatur cum ſolis ſubditis diœceſis, in qua ſunt religioſi? Refertur quædam opinio, numero 14.
Explicatur ſententia Auctoris, n.15.
An in ſola confeſſione poſſint religioſi uti ea poteſtate? Refertur quædam opinio, n.16.
Explicatur ſententia Auctoris, n.17.
An idem ſit de facultate diſpenſandi in votis reſeruatis commiſſa per pœnitentiarium? Et an religioſi Soc. Jeſu poſſint eam diſpenſationem expedire extra confeſſionem, & ſit idem forum pœnitentiæ, & forum conſcientiæ? n.18.

Quod privilegium habeant religioſi ad diſpenſationem, & commutationem voti ſtrictioris religionis, ad eligendam ſuam? num. 19.

An ſit juſta cauſa hujus diſpenſationis, ſic velle, qui votum fecit, aut eum credere fore, ut in illa religione melius Deo inſerviat? num. 20.

An virtute priuilegii poſſint diſpenſare in eo voto? n. 21.

1 Conſultò de ſola delegata facultate religioſorum ad diſpenſandum in votis, mouetur quæſtio: quia nec in jubilæo, nec in Bulla cruciatæ datur facultas ad diſpenſandum, ſed tantùm ad commutandum. Ut dicemus infra tractantes de votorum commutatione. Nec ſolent dari ſimiles facultates, niſi ad diſpenſandum, & partim commutandum, circa vota reſeruata, ut ſolet committere Sacra pœnitentiaria. Cujus commiſſionis clauſulas latè explicui *libro 8. de matrim. diſputat.* 34. Si quæ autem aliæ facultates diſpenſandi votis alicui delegentur, explicandæ erunt juxta earum tenorem, & juxta ea, quæ de facultate delegata religioſis ad hoc dicemus, ſi ejuſdem ſint tenoris: nec peculiaris ratio aliud ſuadeat. Et quamuis religioſi gaudeant quoque facultate commutandi vota, non eſt de hac in præſenti agendum, ſed de ſola poteſtate diſpenſandi. De illa autem agemus tractantes de commutatione votorum. Præmittendum eſt hanc poteſtatem diſpenſandi delegari non poſſe, niſi clerico primæ tonſuræ ſaltem, ſi jure ordinario loquamur, quamuis Pontifex poſſit quoque laico eam committere. Ut diximus *cap.* 37. *num.* 20. & 21. Nec cenſetur hæc poteſtas delegari ſimili aliqua poteſtate conceſſa, ut facultate abſoluendi ab omni caſu, & cenſura reſeruatis, vel diſpenſandi in irregularitate, ſed oportet ut exprimatur concedi poteſtatem diſpenſandi, in votis. Quia cum hæ poteſtates diuerſæ ſint, nec priuilegia plus valeant, quàm ſonent, conceſſio unius non extenditur ad alterius conceſſionem. Quod per ſe notum eſt, & tradit *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, l. 6. cap. 12. num. 2.*

2 Atque cum delegatur etiam Epiſcopis facultas diſpenſandi in votis reſeruatis, in quibus ipſi diſpenſare non poterant, non eſt ordinaria, ſed delegata facultas. Quod optimè docet *Suarez tomo ſecundo de religione, tractatu de voto, libro ſexto, cap.* 25. *numero* 1. contra alios, quos tacito nomine *ibi* refert dicentes conceſſam Epiſcopis eſſe ordinariam, conceſſam verò aliis, delegatam. Quia per eam conceſſionem Epiſcopis factam, non omnino tollitur reſeruatio, ut vel ſic maneant ſub ordinaria Epiſcoporum poteſtate, cui ſecluſa reſeruatione ſubdebantur, nec eſt perpetua conceſſio adnexa dignitati Epiſcopali, in quo utroque caſu eſſet ordinaria: ſed ſola juriſdictio communicatur in ea vota reſeruata, nec perpetuò dignitati, ſed temporaliter perſonæ.

3 Secundò præmittendum eſt, hanc delegationem non intelligi, ut delegatus poſſit ad libitum diſpenſare, in voto, ſed exiſtente cauſa juſta, qualem diſpenſatio petit. Quia nemo poteſt ampliùs, quàm ipſe delegans poteſt: at quicumque delegans, etiamſi ſit Romanus Pontifex, nequit validè in voto abſque legitima cauſa diſpenſare. Et hoc eſt per ſe notiſſimum, & tradit *Suarez eod. l.6. c.17. n.4.*

4 His præmiſſis, explicandum eſt priuilegium diſpenſandi in votis, conceſſum religioſis. Et quidem Innocent. VIII. conceſſit Mendicantibus poſſe diſpenſare in votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, demptis peregrinationis ultra duas dietas. Sunt autem duæ dietæ viginti leucæ. Ut teſtatur *Rebuff. de priuil. ſcholaſt. priv.* 161. *Azevedo* alios referens *lib. 1. recopilat. regia titul. 7. lib. 20. num. 2. Manuel in Bulla Cruciata §.9. n.141.* Quamuis 2. *tomo ſumma c.100. num.3.* dicat eſſe quatuordecim leucas. Sed credo eſſe errorem typographi, quia refert ſe ad prædictum §. Bullæ, ubi ait eſſe viginti leucas. Sed amplius priuilegium diſpenſandi circa vota conceſſum eſt à Martino Quinto, quo per communicationem gaudent Mendicantes. Conſtat ex *compendio priuilegiorum Societate Jeſu, verbo Diſpenſatio, §. decimo,* ibi: *Per facultatem Benedictinis conceſſam à Martino Quinto, poſſunt noſtri confeſſores deputati diſpenſare etiam in votis Epiſcopo reſeruatis.* Ubi Pater noſter Generalis Claudius Aquaviva communicat hanc facultatem omnibus Superioribus, & aliis confeſſariis, quibus ipſi eam commiſerint.

5 Hæc autem priuilegia cenſentur fauorabilia, & ſunt latè interpretanda. Quia non continent diſpenſationem, quę ſtrictè intelligi debet. Ut probaui *lib.8. de matr. diſp.1. nu.3.* Sed concedunt diſpenſandi poteſtatem: quam cenſeri fauorabilem, & latè interpretandam, probaui *eod. lib.8. diſp.2. n.1.* Præterea quia conceduntur toti religioni, in quo caſu ea eſſe fauorabilia, & extendenda, probaui *eod. lib. 8. diſp.1. nu.13.* Et quia ſunt erga perſonas indeterminatas: in quo caſu ea eſſe extendenda probaui *eod. lib.8. diſp.2. n.6.* & loquens dę priuilegiis commutandi tradit *Leonardus lib.2. de juſtit. cap.42. dub.12. num.60.* & de omnibus *Enriquez lib.7. de indulgentia cap.28. n.7.*

6 Prima difficultas circa hæc priuilegia eſt, an virtute illorum poſſint religioſi Mendicantes, & fruentes eorum priuilegiis diſpenſare in votis reſeruatis Pontifici, quando in eis poteſt Epiſcopus diſpenſare. Et videtur pars negans. Quòd ideò poſſit Epiſcopus in illis diſpenſare in illis caſibus, quia ſecluſa reſeruatione poterat jure diuino naturali attento in eis diſpenſare, & ideò reſeruatio tamquam jus ejus auferens, ut odioſa, & reſtringenda. Ut conſtat ex dictis *cap. 40. à num.* 25. in omnibus enim caſibus, in quibus diximus *ibi* poſſe Epiſcopum diſpenſare, huic fundamento innixi ſumus. Quæ ratio nullatenus militat in his priuilegiis, nam ſecluſis illis religioſi nil poterant. Præterea quia *eodem cap. numero* 16. probauimus, conceſſis omnibus votis, conceſſa non intelligi reſeruata, niſi exprimantur. At in neutro priuilegio exprimuntur. Ergo nullatenus cenſentur conceſſa.

7 Verùm dicendum eſt poſſe religioſos virtute poſterioris priuilegii relati *num.* 4. diſpenſare in omnibus votis Pontifici reſeruatis, quoties in eis ratione alicujus circumſtantiæ occurrentis, quæ efficiat ea deficere à veri voti reſeruati ratione, & materia diximus *cap. 40. à n.16. uſque ad finem*, poſſe Epiſcopum diſpenſare. Secùs autem quando ſeruata voti reſeruati vera materia, & diſpenſatione in illam cadente, diximus *eodem cap.* 40. jus eſſe Epiſcopo diſpenſandi ratione ſolius neceſſitatis, quos caſus explicuimus *ibi, à num. 34. uſque ad* 37. Ratio prioris partis eſt, quia generaliter conceſſit Pontifex in eò priuilegio facultatem ad diſpenſandum in votis Epiſcopo reſeruatis, ideſt, in quibus jure ordinario poſſunt Epiſcopi. At in illis caſibus poſſunt jure ordinario Epiſcopi, eò quòd reſeruatio non intelligatur in illis. Ergo, & poterunt religioſi. Et ſic ceſſat prior ratio contraria: nam ſi ea ratio non militet in religioſis, militat tamen alia, nempe, conceſſio prædicta generalis. Præterea, quia ratione ſolius reſervationis probauimus *capit. 40. numero* 16. hæc vota reſeruata indigere ſpeciali mentione, ut conceſſa cenſeatur. Cum ergo in his caſibus non cenſeatur eorum diſpenſatio reſeruata, non ea indigebunt, ſed claudentur in conceſſione, generali, & indefinita. Et hujus ſententiæ eſt *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, libro ſexto, capit. 26. numero 17. in fine*, ubi ait priuilegia diſpenſandi in votis cujuſcumque conceſſa, extendi ad hæc omnia reſeruata in prædictis caſibus. Ejuſdem etiam ſententiæ ſunt clarè Doctores omnes, quos referemus infra dicentes poſſe religioſos virtute ſuorum priuilegiorum commutare hæc vota in prædictis caſibus; quia eadem ratio militat in utroque caſu, imò major videtur urgere, ut poſſint diſpenſare, quia in priuilegio commutandi excipiuntur vota reſeruata, at in priuilegio hoc diſpenſandi non excipiuntur, ſed ſolùm excepta intelliguntur juxta dicta *cap. 40. num.* 16. eò quòd non exprimuntur in conceſſione. Ratio autem poſterioris partis ea eſt, quia in in iis caſibus ſunt verè vota illa reſeruata, ac diſpenſatio verè cadit in materiam reſeruatam, & ideò caſus illi non cenſentur Epiſcopales, & ordinario Epiſcoporum juri ſubjecti, ſed per accidens poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare ex quadam benigna voluntatis reſeruantis interpretatione. Sicut abſolutio ab hæreſi non dicitur caſu ordinariè commiſſus, nec amittit ſuam rigoroſiſſimam reſeruationem, eò quòd per accidens ratione neceſſitatis imminentis, poſſit quilibet ſacerdos eam in articulo mortis impertiri. Et ideò hoc tenui *libro 2. de matrimonio diſput. 40. numero 9. & lib. 8. diſputat. 15. numero decimo*, & tenent *Enriquez libro ſexto de pœnitentia cap. 14. numero 9. & in commento, litera P, Manuel de Bulla Cruciata §. nono, numer. 118. & quæſtionibus regularibus, tomo 1. quæſt. 41. artic. 9. & quæſt. 63. artic. 6. Suarez eodem capit. 26. numero 18. & 19.* An verò hoc priuilegium extendatur ad diſpenſandum in voto caſtitatis ante matrimonium emiſſo ad petendum debitum, conſtabit non poſſe ex dicendis in ſimili infra *capit. 54. numero* 20. ubi dicemus non poſſe commutari per ſimilia priuilegia votorum commutandorum. At poterunt diſpenſare virtute alterius priuilegii, de quo dicemus *num.* 10.

8 Utrum autem poteſtas hæc extendatur ad diſpenſandum in votis emiſſis in fauorem tertii, diximus *cap. 41. nu.* 9. Et in votis ante, & poſt priuilegium emiſſis, & ad vota jurata: & an hæc poteſtas delegata ad diſpenſandum, extendatur ad commutandum, dicemus tractantes de votorum commutatione.

9 At hæc facultas diſpenſandi in votis, ſicut non extenditur ad vota reſeruata, quando reſeruata verè ſunt, ita non extenditur ad juramenta ejuſdem materiæ reſeruatæ, etiam in caſu, in quo juxta noſtram opinionem non ſunt reſeruata, cum tamen ſi eſſent vota, eſſet utique reſeruata. Quia hoc diſpenſandi priuilegium ſola vota concedit, & ſolùm extenditur ad juramenta ſoli Deo præſtita ex poteſtate circa ſimilia vota. Cum ergo nulla poteſtas in eo concedatur circa ſimilia vota reſeruatæ, non eſt extendendum ad illa juramenta. Inſuper quia frequentiſſimè hujuſmodi juramenta continent etiam promiſſionem, in quo caſu eſt certum ea quoque eſſe reſeruata.

10 Inſuper Prouinciales Mendicantium habent priuilegium, ut poſſint concedere ſuis confeſſoribus approbatis ab Ordinario juxta Tridentini normam, facultatem diſpenſandi ad petendum debitum cum iis, qui ante matrimonium vouerant caſtitatem. Hoc enim eis conceſſit Pius Quintus viuæ vocis oraculo. Ut referunt multi, quos citaui *lib. 8. de matrimonio, diſputatione decimaſexta, numero tertio.* Hoc etiam refertur in *compendio priuilegiorum Societatis Jeſu, verbo Diſpenſatio, §. nono*, ubi Pater noſter Generalis Claudius Aquaviva id priuilegium communicat prouincialibus, & aliis confeſſariis, quibus per ſe, vel per alios id commiſerint.

11 Aliqui reſtringunt hoc priuilegium, ut intelligatur, quando voto ligatus jam conſummauit matrimonium, ſecùs quando nondum conſummauit. Ducuntur, quòd ante matrimonium conſummatum teneatur ingredi religionem: quòd petendo debitum, & altero reddente impedietur. Sic *Azor. tomo 1. inſtit. moral. l.11. cap.19. q.20. verſ. Sed dubia quæſtionis eſt.* At quamuis prædicta opinio ſit veriſſima, ſuſtinendo hunc teneri ad religionem: cum tamen probabilius ſit non teneri, dicendum eſt poſſe utique tunc diſpenſare. Quia ſi manet in ſæculo, prout licitè poteſt, tenetur conſummare matrimonium reddendo debitum, ac ſubinde in magno peccandi diſcrimine conſtituetur, ſi petitio debiti ſit ei interdicta: atque ideo militat ratio conceſſionis, quæ fuit, ut huic periculo proſpiciatur. Atque ita docet *Sayro in claui regia, l.6. c.11. num.104. Manuel 1. tomo ſummæ, in 2. editione, cap.242. num.2. Vega 2. tom. ſumma c.129. caſu 118. puncto* 2. Atque idem eſt dicendum, priori bimeſtri ante matrimonii conſummationem, etiamſi ad nuptias tranſierit animo ingrediendi religionem, quando is animus ad religionis ingreſſum non obligat. Quia militat eadem ratio, non enim tenetur hic ingredi religionem. Et idem eſt dicendum, quando eſt licitum divortium. Quia privilegium eſt abſolutum, & abſque ulla reſtrictione, & quia concedit diſpenſationem in eo caſu, in quo Epiſcopus poteſt diſpenſare: & poſſe Epiſcopum in omnibus his caſibus, probavi *capit. 40. num.* 64.

12 Quòd ſi id caſtitatis votum ſit emiſſum poſt matrimonium, nequibunt religioſi virtute hujus priuilegii diſpenſare ad petendum debitum. Quòd id privilegium expreſsè loquatur de voto caſtitatis ante matrimonium emiſſo. Atque ita docent *Manuel 1. tom. ſumma in 2. editione c.243. num. 14. & quæſt. regularibus, tom. 1. quæſt. 63. art. 2. Vega 2. tom. ſumma cap. 129. caſu 77.* At poterunt virtute privilegii, quod habent in omnibus voti diſpenſandi, quando non ſunt Pontifici reſeruata (ut diximus *num.* 7.) diſpenſare non tantùm ad petendum debitum, ſed omnino in eo voto, quoties poteſt Epiſcopus diſpenſare in eo voto, eò quòd à perfecta voti caſtitatis ratione deficiat. Quos caſus explicuimus *c.40. à num.* 51.

13 Sed ſi ante matrimonium, vel poſt, id tamen nondum eſt conſummatum, vouerit conjux religionem, nequeunt religioſi diſpenſare cum illo, ut petat, aut reddat debitum. Tum quia priuilegium de ſolo caſtitatis voto loquitur. Tum etiam, quia nec Epiſcopum poſſe ad id diſpenſare, probaui *c.40. n.*64. Quia tenetur hic religionem ingredi.

14 Secunda difficultas eſt. An hæc facultas diſpenſandi in votis conceſſa religioſis, ſit reſtringenda, ut tantùm eo privilegio uti poſſint erga ſubditos illius diœceſis, in qua ſunt religioſi. *Manuel additionibus ad Bullam Cruciatam §. nono, num.* 120. affirmat ſic hoc privilegium reſtringendum. Ducitur, quòd id privilegium concedat ſola vota, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ut *num.*7. diximus. At Epiſcopus illius diœceſis in ſolis ſuorum ſubditorum votis poteſt diſpenſare. Ergo idem dicendum eſt de religioſis illius diœceſis. Cui fauent Doctores ſic reſtringentes facultatem commutandi vota conceſſam religioſis, quos referemus *cap. 54. num.* 59.

15 Verùm dicendum eſt, non eſſe reſtringendam ad ſubditos illius diœceſis, in qua ſunt religioſi, ſed extendi ad quoſcumque undecumque venientes. Quia illa reſtrictio, ut poſſint diſpenſare in ſolis votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, intelligitur ſic, ideſt, ut nequean diſpenſare in votis Pontifici reſeruatis, in quibus ratione reſervationis nequeunt Epiſcopi diſpenſare: Cum enim hanc diſpenſandi poteſtatem à Summo Pontifice habeant, qui toti orbi præeſt, non eſt, cur ea reſtringenda ſit ad ſubditos illius diœceſis, in qua religioſi inveniuntur. Et confirmatur, quia cum hæc facultas prædictis religioſis conceſſa ſit, quò meliùs pœnitentium ad illos confluentium ſaluti ſpirituali conſulere poſſint, rationi conſentaneum eſt, ut ſicut undecumq; venientium poſſunt confeſſiones audire, ita quoque poſſint in eorum votis diſpenſare. Tandem quia cum hæc priuilegia eſſe amplianda probaverimus *n.* 5. nulla ratione dicendum eſt ea ita reſtringenda. Et ita ſenſere viri docti à me conſulti.

16 Ultima difficultas eſt. An religioſi hac diſpenſandi in in votis facultate poſſint in ſola confeſſione uti. Quidam affirmant. Quia hoc priuilegium conceditur confeſſoribus regularibus: quod denotat debere eſſe intra confeſſionem. Et confirmatur, quia hæ diſpenſationes committuntur his, ut judices ſunt in foro interno, ſicut diſpenſationes committuntur pro foro externo officialibus diœceſanis, ut externi fori ſunt judices. At confeſſor non eſt judex in foro interno, niſi audiat confeſſionem. Et hujus ſententiæ videtur *Corduba ſumma q.152.* ubi dicit poſſe religioſos in confeſſione diſpenſare in votis, in quibus poſſunt Epiſcopi. Et tenent expreſsè *Sayro in claui regia, l.5. c.8. n.10. in fine, & l.6. c.11. n.105. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium; verbo Votum, in ſuis adnotationibus, notabili* 7. Et pro eadem ſunt Doctores, quos *c.54. n.15.* referemus dicentes idem de priuilegio commutandi vota per Bullam.

17 At verius eſt, poſſe eos ea facultate diſpenſandi uti extra ſacramentum confeſſionis. Quia priuilegia diſpenſandi relata *num.* 4. non petunt, ut audita confeſſione diſpenſatio fiat. Et, ut optimè ait *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib.6. c.16. nu.* 4. quando priuilegium non reſtringit expreſsè, ut diſpenſatio in confeſſione exerceatur, aut in foro pœnitentiæ, non eſt opus confeſſione, licèt petat, ut diſpenſans ſit confeſſor approbatus. Quia nomen confeſſoris eſt magis muneris, quàm actualis exercitii, & ſolùm requiritur, ut pro munere audiendi confeſſiones ſit approbatus. Nec etiam ait ſufficere, ut ſit neceſſaria confeſſio, ſi dicatur in priuilegio diſpenſationem concedi pro ſolo conſcientiæ foro. Quippe hoc latiùs patet, quàm forum pœnitentiæ ſacramentalis, & per illa verba ſolùm excluditur, ne diſpenſatio valeat pro foro externo. Quæ omnia dixi *l.8. de matrim. diſputat. 34. num.* 29. ubi latiſſimè id probaui, & retuli Auctores, atque explicui confeſſorem virtute alicujus indulti diſpenſantem extra confeſſionem, eſſe judicem tunc in foro interno. Et pro hac ſententia ſunt, quos referam *cap.54. n.* 16. dicentes poſſe religioſos extra confeſſionem commutare vota virtute ſui priuilegii, in quo tamen eſt multò major difficultas, quia dicitur *ibi*, audita confeſſione.

18 Imò, & diſpenſationes commiſſas à ſacra pœnitentiaria diſcreto confeſſori, pro ſolo conſcientiæ foro, probaui latiſſimè *lib.8. de matrim. diſp.34. num.*29. poſſe expediri extra confeſſionem. Quod apertè indicat *Suarez num. præced.* relatus. Et *ibi num.* 30. probaui idem eſſe dicendum de religioſis Societatis Jeſu, qui virtute ſui priuilegii eas diſpenſationes.

19 Tandem Eugenius IV. conceſſit Prælatis congregationis S. Benedicti, ut poſſent commutare aliquorum votum ingrediendi arctiorem religionem, ut ingrediantur ſuam, dummodo ſi ante profeſſionem receſſerint, diſpenſatio ſit nullius momenti. Quod priuilegium refert *compendium priuilegiorum Mendicantium verb. diſpenſatio* §. 28. Inſuper Societas Jeſu habet priuilegium, ut in eam recipi valeant quicumque aliquam religionem intrandi, & ibi permanendi, ex quauis cauſa votum emiſerint. Conſtat ex *compendio noſtrorum priuilegiorum, verbo Commutatio* §. 3. ubi Pater noſter Generalis Claudius Aquaviva ſic ait: *Hac facultate ſoli, & magna conſideratione utentur provinciales, niſi ipſi eam in caſu aliquo alicui communicarent, & cum uſi fuerint, admoneant præpoſitum generalem.*

20 Cum autem hæc ſit diſpenſatio, & partim commutatio, eò quod ſit in minùs ſtrictam religionem, exigit cauſam. Hanc autem dicit *Manuel quæſt. regularibus, tomo 1. q. 25. art.*6. eſſe, ſi vouens putet ſe meliùs in ea religione inſeruiturum Deo, quàm in arctiori, aut ſic ſe velle. Sed neutram cauſam approbo. Quippe cum commutatio hæc admixtam diſpenſationem habeat, exigit cauſam voti executioni obſtantem. Juxta ea, quæ dicemus *c.*45. At neutra illarum eſt hujuſmodi. At minorem cauſam deſiderari, quàm ad puram diſpenſationem, per ſe conſtat.

21 Id tamen admonuerim, quamvis Mendicantes non poſſint in eo voto virtute hujus privilegii diſpenſare, niſi cum limitatione prædicta, quam retulimus *n.*19. in eo contineri: poſſe tamen virtute priuilegii, cujus *n.* 4. meminimus, virtute cujus diximus *num.* 7. poſſe diſpenſare in omnibus votis reſervatis, in omnibus caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus defectu alicujus circumſtantiæ, poſſe (inquam) virtute illius diſpenſare abſolutè in hoc voto, ut ingrediantur ſuam, vel aliam religionem, ſine eo onere, ut egreſſi ex legitima cauſa ante profeſſionem, teneantur ad prius votum. Quia Epiſcopum poſſe diſpenſare in hoc, eò quòd ſit diſpenſare in ſola voti reſervati circumſtantia, diximus *c.40. n.*74. Et quando Epiſcopus diſpenſaret, & ille vovens bona fide ad probandum ingrederetur laxiorem religionem, ex juſtaque cauſa egrederetur, non teneretur, iterum religionem ingredi. Quia ut conſtat ex dictis *cap.* 16. ſic exiens ſatisfacit religionis voto. Nec uſui privilegii amplioris obſtat conceſſio alterius reſtrictioris. Quia dum Pontifex facultatem aliquam concedit cum aliqua exceptione, ſeu limitatione, ſolam illam facultatem limitat, ut ab ipſo proficiſcitur: quare ſi aliunde facultas illa, ſine illa reſtrictione competebat, non videtur ſublata, vel reſtricta, ſed adhuc licebit ea uti. Ut optimè ait *Cordub.* allegato inſigni Doctore *Ortiz ſuper compendio Mendicantium, verb. Diſpenſatio numero* 24. Qua ratione *Navarr. ſumma Latina cap. 25. numero* 138. affirmat non obſtante Decreto *Tridentini ſeſſione 25. capite quarto, de reformatione,* decernente, ut Epiſcopus poſſit cum Synodo minuere numerum miſſarum cappellaniæ, quando exiguum ſtipendium id poſtulat, id poſſe Epiſcopum extra Synodum. Quia id poterat jure antiquo, cui id decretum non derogat.

CAPUT XLIV.

An cum dubia eſt diſpenſatio, ſive defectu poteſtatis in diſpenſante, ſive ex alia cauſa, tutus ſit ille, cum quo diſpenſatur?

SUMMARIUM.

An cum dubitatur de diſpenſantis poteſtate, ſit integum eo diſpenſare in voto, &, is cum quo diſpenſatur, ſit tutus? Refertur quædam ſententia, n.1.

Explicatur quid dicendum, quando dubitatur, an ſuperior diſpenſans ſit legitimus, num.2, Et ibi, quid ſi dubitetur de domicilio ſubditi?

Quid, quando poteſtas eſt ordinaria, & eſt dubium, an poſſit in eo voto diſpenſare, vel dubitat vouens, an votum rei reſeruatæ, vel potiùs non reſeruatæ, emiſerit? n. 3. Et ibi quid, ſi ſit certitudo de voto, & dubitetur, an ſit reſeruatum?
Quid, ſi poteſtas ſit delegata, & dubitatur, an ea extendatur ad illum caſum, aut dubitetur, an ſit reſeruatus? n.4.
Quid, ſi in hoc euentu ſit dubium, quale votum ſubditus emiſerit? num. 5.
An, ſi dubitetur, an legitima cauſa ad diſpenſationem concurrerit, an diſpenſante ſuperiore ſubditus ſit tutus? n. 6.
An peccet tunc ſuperior diſpenſans? Remiſſiuè, n.7.
An ſi dubitatur, num diſpenſatio extendatur ad illum caſum, præſumatur extendi? n.8.
Quid, ſi dubitatur de valore diſpenſationis, eò quòd dubitetur, an impetrans tacuerit verum, aut falſum expreſſerit; aut an veritas tacita, vel falſitas expreſſa ſit finalis, ac proinde vitiet diſpenſationem? n.9.
Quid, ſi in omnibus his caſibus conſtet poſtea veritas? n.10.

1 DUbium hoc diuerſis ex cauſis oriri poteſt. Prima eſt, quòd dubium ſit, an ſuperior ille diſpenſaturus ſit legitimus. Et tunc *Metina tractatu de pœnitentia, quæſtione de diſpenſatione ſuper confeſſione reuelanda ad finem*, generaliter tradit in dubio de diſpenſationis poteſtate, peccare diſpenſantem, & eum, cum quo diſpenſatur, ſi diſpenſatione ea utatur. Quòd uterque peccandi periculo ſe exponat.

2 Sed hæc ſententia ita generaliter dicta diſplicet. Sed ſic diſtinguendum eſt. Si ſuperior ille ſit in poſſeſſione ſuperioritatis, dubitetur autem, an ſit legitimus, non poteſt ea ſpoliari, donec conſtet non ſola opinione, ſed ſcientia moraliter certa defectus legitimæ ſuperioritatis. Ut latè probaui *cap. 32. num.* 4. Et ideò tutus erit is, cum quo diſpenſatur. Atque ipſe diſpenſans tutè quoque poteſt ſuo munere fungi, quando ſufficienti appoſita diligentia non poteſt id dubium vinci: imò dum ea apponitur, poteſt petentibus ſubditis eo munere fungi. Sicut conjux dubius de matrimonii valore licitè reddit, imò tenetur, dum apponitur diligentia ad aſſequendam veritatem; atque ea appoſita ſi nequit vinci dubium, licitè omninò utitur matrimonio. Ut probaui *libro ſecundo, de matrimonio, diſputatione* 41. *numero* 47. Si verò nullam nactus ſit poſſeſſionem, non poterit. Quia ſola ſuffragatur in hoc dubio. Dixi autem petentibus ſubditis poſſe, dum apponitur diligentia. Quia tunc eſt quaſi reddere: actus enim voluntarios ſuperioritatis nequiret exercere: id enim eſt quaſi petere. Quare ſi dubitetur, an is, cum quo eſt diſpenſandum, ſit ſubditus, ratione domicilii, aut quaſi domicilii acquiſiti in ea diœceſi, neceſſarii ad ſubjectionem requiſitam ad poteſtatem diſpenſandi cum eo, nequibit Prælatus cum illo diſpenſare. Quia non habet poſſeſſionem ſuperioritatis in illum, ſed eam habet Prælatus veri domicilii.

3 Secunda cauſa eſt, eò quòd dubitetur, an poteſtas diſpenſantis extendatur ad illud votum. Et tunc quando poteſtas eſt ordinaria, poteſt eſſe dubium juris, aut facti, aut utriuſque. Dubium juris erit, quando conſtat de voto emiſſo, at dubium eſt propter opinionum diuerſitatem, an id ſi reſeruatum. Et in hoc caſu poteſt diſpenſare. Quia tunc non cenſetur votum reſeruatum. Ut probaui *cap.* 40. *numer.*26. Aut eſt dubium facti, quia vouens ſciens ſe peregrinationem vouiſſe dubitat, an ea fuerit Compoſtellana, & ſic reſeruata. Similiter certus eſt ſe aliquid ad caſtitatem pertinens vouiſſe, dubitat tamen an abſolutam caſtitatem vouerit, cujus votum eſt reſeruatum, an ſolam partialem, cujus votum non eſt reſeruatum. Et in hoc dubio ſic diſtinguendum apparet prima facie. Si ſit aliqua poſſeſſio pro voto reſeruato, non poterit inferior Pontifice diſpenſare: ſecùs ſi nulla ſit poſſeſſio pro voto. Exemplum prioris partis ſit, ſi ille certus ſit ſe vouiſſe caſtitatem; aut verba voti, quæ certus eſt ſe protuliſſe, ſunt caſtitatis, dubitat tamen, an intenderit omnimodam caſtitatem, tunc enim poſſeſſio eſt pro voto plenæ caſtitatis. Exemplum poſterioris partis, quando ille non meminit verborum: tunc enim poſſeſſio eſt pro voluntate, ut in hoc dubio intelligatur ad id quod, minus eſt, ligata: & ideò præſumitur non emiſſum votum reſeruatum. At re benè inſpecta dicendum eſt, in neutro caſu votum eſſe reſeruatum: & à fortiori, quando eſt dubium juris, & facti. Quia *c.* 40. *num.* 26. eam regulam tradidimus, ut in dubio quamuis non ſufficienti ad vitandam voti obligationem, numquam cenſeatur votum reſeruatum. Et ideò quando ſtat poſſeſſio pro illo voto caſtitatis, juxta tenorem verborum, licèt ea poſſeſſio ſufficiat ad judicandam plenam caſtitatis obligationem, non ſufficit tamen, ut votum judicetur reſeruatum.

4 Si autem poteſtas ſit delegata, poteſt eſſe dupliciter dubium juris, priori modo, ex parte ejus poteſtatis, quia eſt limitata, & dubitatur, an ad id votum extendatur: & tunc præſumitur extendi, & ſic poterit diſpenſari. Quia cum poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, & latè interpretanda: ut latiſſimè probaui *l.8. de matr. diſp.2. n.1.* quoties dubium eſt, an hæc poteſtas extendatur, ut virtute illius poſſit in aliquo caſu diſpenſari, cenſenda eſt extendi ad illum. Ut optimè tradunt *Decius c. At ſi clerici §. de adulteriis, in noua edit. limitatione 2. num.96. de judiciis, & ibi Hippolytus n.9. Stunica de voto q.6. num.57.*

5 Poſteriori modo poteſt eſſe dubium juris aut factis, aut utriuſque ſimul, eo modo, quo *n.3.* diximus poſſe hæc dubia accidere reſpectu poteſtatis ordinariæ. Et tunc eſt idem dicendum, quod diximus *eo n.3.* de poteſtate ordinaria. Quia militat eadem ratio, nempe, votum reſeruatum non eſſe certum; ac proinde non reputari reſeruatum. Atq; idem dicerem, etſi ſimul concurreret dubium juris explicatum *n. præced.* propter rationem *ibi* traditam.

6 Tertia cauſa hujus dubii poteſt oriri, eò quòd dubitatur, an ſit legitima diſpenſandi cauſa. Et tunc ſi Prælatus propoſita ei verè cauſa à ſubdito diſpenſet, tutus erit ſubditus utendo diſpenſatione. An verò Prælatus in dubio legitimæ cauſæ poſſit tutò diſpenſare, dicemus *capit. ſequent.* Quia in hoc dubio ſtandum eſt ſuperioris judicio. Ut optimè tradunt *D. Thom. 2. 2. q.88. art.12. ad 2. D. Anton. 2.p. tit. 11. c.2. §.9. notabili 3. Sylv. verb. Votum 4. q.6. Tabiena verb. Diſpenſatio, q.10. n.12. Aragon. 2. 2. q.88. art.12. ad 2. Suarez tomo 1. de relig. lib.2. de diebus feſtis c.33. n.3. & tomo 2. tractatu de voto, l.6. c.17. n.6. & 20. & tomo 5. in 3.p. diſputa.41. ſect.3. in fine, Sayro in claui regia, l.6. c.12. n.25. verſic. Quæ omnia, in fine, Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de voti irritat. num.* 20. Idque non obſcurè ſignificat *Sotus 4. d. 21. qu.2. art. 2. col. antepenult.* ubi dicens diſpenſationem voti à Pontifice conceſſam abſque cauſa, eſſe irritam, ſubjungit, ſi manifeſtus error non interueniat, præſumi cauſam juſtam. Et *lib.7. de juſt. q.4. art. 3. ad 2. in fine*, ubi ait diſpenſationem in voto eſſe irritam, quando manifeſtè conſtat nullam eſſe cauſam. Quare dum quidam Doctores, quos retuli *l. 8. de matr. diſp.17. n.* 14. dicunt non præſumi cauſam in principe diſpenſante in jure diuino naturali, cujus obligatio eſt voti, intelligendi ſunt in foro externo. Et dum alii citati *eadem diſput. n.15.* docent non credi Prælato dicenti ſe ex juſta cauſa diſpenſare, dum in lege ſuperioris diſpenſat, intelliguntur etiam in foro externo. Atque hanc doctrinam credo veram, non ſolùm quando diſpenſat ipſe Prælatus, ſed etiam quando alius ex ipſius commiſſione, aut priuilegio. Quia in eo actu fungitur ſuperioris vice.

7 Sed an prælatus ipſe peccet, dum diſpenſat in dubio, an cauſa ſit ſufficiens? Dicemus *c. ſeq. n.* 10.

8 Quarta cauſa eſt, quando dubium oritur ex parte ipſius diſpenſationis. Et tunc poteſt oriri dubium, aut quia dubitatur an illa extendatur ad hunc caſum. V. gr. diſpenſatum eſt à legitimo ſuperiore in voto caſtitatis, at ex diſpenſationis tenore dubium eſt, an ſit abſoluta, & omnimoda diſpenſatio, ita ut vouens liberetur omnino voto: an ſolùm ſit ad effectum illius matrimonii ineundi: & in hoc dubio cenſendum eſt eam diſpenſationem non eſſe totalem. Quia licèt poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, & extendenda ad caſum dubium; ut diximus *n.4.* At quia diſpenſatio eſt odioſa, & reſtringenda. Ut probaui *l.8. de matr. diſp. 1. à n.3.* non extenditur ad cauſum dubium. Atque ita docent *Decius, Hippolytus, & Stunica* relati *n. 4.*

9 Aut poteſt dubium id conſurgere ex eo, quòd dubitat impetrans diſpenſationem, an tacuerit verum, aut falſum expreſſerit. Et tunc cum delictum non præſumatur, *l. Meritò ff. pro ſocio*, præſumptio erit, ut non deliquerit, & ſic pro diſpenſationis valore. Aut eſt certus ſe verum tacuiſſe, aut falſum expreſſiſſe: dubium tamen eſt attentis omnibus circumſtantiis, an ea cauſa tacita, vel falsò expreſſa ſit finalis, ita ut veritate non tacita, & cauſa vera expreſſa, non concederetur diſpenſatio, ac proinde diſpenſatio ſit irrita: an potiùs tantùm ſit impulſiua, nempe, quia aliàs concederetur diſpenſatio, & ſic illa non vitietur. Atque in hoc dubio res eſt valde controuerſa. Multi affirmant præſumi finalem, & ſic corruere diſpenſationem. Quos retuli *lib. 8. de matr. diſp.21. n.20.* At *ibid.* cum multis aliis ſuſtinui præſumi cauſam impulſiuam, & ſic valere diſpenſationem. Atque idem probaui *ea diſp.21. n.25.*

10 Tandem ſi quæras, an diſpenſatio in omnibus prædictis dubiis conceſſa corruat detecta poſtea veritate in contrarium? Sic diſtinguendum eſt. Si dubium erat de ſola ſuperioris poteſtate, an ille eſſet legitimus, necne, ſi reuera habuit ille titulum, etſi inualidum ratione alicujus vitii occulti, & ideò communiter exiſtimabatur legitimus ſuperior, valebit utique diſpenſatio conceſſa, quamuis poſtea detegatur non eſſe legitimum Superiorem. Si verò detegatur eam caruiſſe titulo collato à legitimo Superiore, non valebit diſpenſatio. Ratio eſt, quia in priori caſu valent geſta, ſiue ille ſit ordinarius, ſiue delegatus, ſiue geſta pertineant ad forum externum, ſiue ad internum per *l. Barbarius ff. de officio prætoris*. Secus autem in poſteriori caſu. Sicut utrumq; latiſſimè probaui *l.3. de matr. tota diſp.22.* Si autem ex aliis cauſis ortum ſit dubium, ut quia dubitatur, an poteſtas illius delegati extendatur ad hunc caſum, aut an id votum ſit reſeruatum, aut an cauſa fuerit ſufficiens, exiſtimo diſpenſationem tunc bona fine conceſſam non corruere, detecta poſtea veritate in contrarium. Quia cum in iis dubiis poteſtas diſpenſandi ſit legitimè conceſſa, ſuperior legitimè ea uſus eſt. Ergo valor actus non pendet ex futuro euentu. Item quia cum in hoc dubio caſus non ſit reſeruatus, potuit Superior ille diſpenſare, nec diſpenſatio conditionalis tunc cenſetur conceſſa, ſed abſoluta. Ergo à nullo futuro euentu pendet. Tandem, quia recta Eccleſiæ adminiſtratio hoc petit; nec enim aliter vitarentur innumeri ſcrupuli, qui aliàs ſuboriri poſſent. Ergo hoc modo cenſetur conceſſa poteſtas Prælatis, & ipſorum delegatis. Demum ſi dubium fuit ratione veritatis tacitæ, aut falſæ cauſæ expreſſæ,

aut an illa fuerit finalis, juxta dicta *n.* 9. corruet diſpenſatio, detecta veritate in contrarium. Quia hoc non pertinet ſuperioris poteſtatem, quæ in bonum Eccleſiæ eſt latè interpretanda: ſed ad ſolam ejus veritatem voluntatis reducitur: quæ eſt tantùm diſpenſare juxta propoſitam ſibi veritatem.

CAPUT XLV.

De neceſſitate cauſæ ad diſpenſationem petitæ, Et quales debeant eſſe cauſæ?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n. 1.
An ad valorem diſpenſationis in voto exigatur cauſa? Refertur quædam ſententia, n. 2.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 3.
An, ſi tunc admiſceatur diſpenſatio commutationi, & deſit cauſa diſpenſandi, corruat etiam commutatio: etſi adſit aliqua diſpenſandi cauſa, ſed non ſufficiens, corruat tota diſpenſatio? Remiſſiuè, num.4.
An, ſi Prælatus temerè diſpenſet in voto aut in alia ſuperioris lege, abſque præuia cauſæ cognitione; at re vera eſt cauſa legitima, valeat diſpenſatio? Refertur opinio, n.5.
Explicatur ſententia Auctoris, n.6.
Quid, ſi ille ſit delegatus ad diſpenſandum in voto? n.7.
Quid in diſpenſationibus, quas Pontifex committit ordinariis, aut ſacra pœnitentiaria confeſſoribus? n.8.
Quid, ſi notoria eſſet cauſa: aut certò conſtaret diſpenſanti? Et idem de precum veritate, an tunc valeret diſpenſatio abſque cauſa, aut precum examine, nec peccaret diſpenſans? n.9.
An ut ſuperior licitè diſpenſet, exigatur cauſam eſſe manifeſtè juſtam: an potius ſatis ſit eam eſſe dubiam? n.10.
An ſubditus dubitans de juſtitia cauſæ, ſit tutus ſuperiore diſpenſante? Remiſſiuè, n.11.
Satisfit argumentis, n.12.
Poſt n.12. inuenies alia ſummaria, quæ deficiunt.

1 DUplex petitur quæſtio diſputanda. Prior de neceſſitate cauſæ ad diſpenſationis valorem. Poſterior de ipſis cauſis, quales ſint.

2 Quæſtio prior. An diſpenſationis valor juſtam cauſam exigat. Quidam, quos tacito nomine refert *D. Tho. 2. 2. qu. 88. art. 2. ad 2.* in ea fuere ſententia, ut integrum ſit Prælatis ad libitum diſpenſare in votis ſubditorum, ſicut eſt irritare habentibus poteſtatem dominatiuam. Ducuntur, quòd in omni voto intelligatur tacitè conditio, *ſi Prælato placuerit, aut niſi ipſe contradixerit*. Secundò, quia ſicut poteſtas diſpenſandi non datur prælatis ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, ita ſimiliter prælatis regularibus conceſſa eſt poteſtas dominatiua ad irritanda regularium ſibi ſubditorum vota. Ergo ſicut valet irritatio abſque cauſa, ita & diſpenſatio. Tandem quia factum ſubditi nequit ſuperioris auctoritati derogare. Ergo quodcumque votum fit ſalua ſuperioris auctoritate: & ita poterit ad libitum in eo diſpenſare.

3 At certiſſimum eſt, diſpenſationem in voto, & juramento, & quocumque alio præcepto obligante ex jure diuino, conceſſam abſque legitima cauſa, eſſe irritam. Quia tunc diſpenſantur in alienis bonis, & in aliena voluntate ſuperiori, atque adeò Prælatus diſpenſans non id inſtar domini efficit, ſed inſtar miniſtri, & œconomi. Ergo indiget juſta cauſa, ut validè diſpenſet. Secundò, quia excedit fines ſuæ commiſſionis diſpenſans ad libitum, neque enim credendum eſt, Deum, qui ejus obligationis creditor eſt, conſentire iniquæ illi remiſſioni per diſpenſationem factæ, ac ſuas vices ad illam commiſiſſe prælatis. Et confirmatur, quia diſpenſatio abſque cauſa non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio. Ut teſtatur *D. Bern. l. 3. de conſideratione ad Eugenium cap. 23.* Atque ita fatentur uniuerſi Theologi in *4. d. 38. cum D. Th. 2. 2. q.88. art.12. ad 2.* & omnes Doctores juris Pontificii *cum Gloſſa capit. Non eſt, verb. Adimplere de voto*. Atque ſimiliter partialis diſpenſatio admixta commutationi in minus exigit quoque cauſam. Ut dicam *n.16. 22. & 23.*

4 An verò ſi tunc ea partialis diſpenſatio careat cauſa, corruat etiam partialis commutatio: vel ſi adſit aliqua cauſa diſpenſandi, ſed non omnino ſufficiens, corruat tota diſpenſatio? Dicemus *c.51. à n.7. uſque ad 19.*

5 Quòd ſi Prælatus diſpenſet in voto, nulla cauſæ cognitione præmiſſa, at re vera erat legitima diſpenſandi cauſa, quibuſdam placet loquentibus generaliter de diſpenſatione inferioris in lege ſuperioris, diſpenſationem eſſe irritam. Hujus ſententiæ Auctores, & fundamenta retuli *l.8. de matr. diſputat.17. num.10.* & tenet *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto l. 6. c. 27. num. 7.*

6 Sed ut probabiliùs *ibi* tenui, quamuis Prælatus teneatur juſtæ cauſæ cognitionem præmittere, & peccet mortaliter, ſi juſtæ cauſæ ignarus diſpenſet tamquam in re grauiſſima abutens poteſtate, exponensque ſe periculo irritandi actus, valere tamen diſpenſationem, ſi re vera aderat juſta cauſa, & hoc in foro conſcientiæ, donec in externo reuocetur. Quia nulla eſt lex eum actum irritans. Ut latè probaui allegatis Doctoribus, & ſoluens contraria, *ead. diſp.17. nu.11.* indiſtinctè enim loquuntur de Prælato diſpenſante abſque cognita cauſa in lege ſuperioris: & loquens de eadem lege tenet ſub aliquali dubio dicens fortè ita eſſe *Suarez tomo 1. de relig. tract. de diebus feſtis l.2. c.33. nu.13.* Et in propriis voti terminis docet *Supplementum Gabrielis 4. d. 38. artic.5. ubi de diſpenſ. in votis quadruplici, columna ante finem*.

7 Atque idem cenſeo, quando Pontifex, vel Epiſcopus, vel alius potens diſpenſare in votis, vel juramentis committit alicui diſpenſare in votis: quamuis enim nequeat licitè diſpenſare, niſi certior factus de cauſa juſta, at valebit diſpenſatio, licèt cauſa ſibi non cognita diſpenſet, ſi re vera illa aderat: niſi in delegatione habeatur ſpeciali forma petens præmitti cauſæ cognitionem. Quia eadem prorſus eſt ratio.

8 Ex quo ſequitur irritam eſſe diſpenſationem conceſſam à confeſſore virtute litterarum ſacræ pœnitentiariæ, vel à diœceſano virtute commiſſionis Pontificiæ, niſi cauſæ cognitionem præmittant, quæ in illis commiſſionibus petitur. Quia in eis commiſſionibus additur, *ſi per diligentem examinationem inueneris ita eſſe, vel preces veritate niti*: quæ verba indicunt formam, & conditionem neceſſariò ſeruanda, ut executio illis commiſſionis valeat. Quod cum multis contra alios, explicansque quando verba delegationis inducant formam, probaui *lib. 8. de matrim. diſputat. 34. num. 16. diſput. 35. num. 16.*

9 In omnibus autem caſibus explicatis *triplici n. præcedent.* non tantùm validè, ſed etiam licitè expeditur diſpenſatio, nulla cauſæ cognitione præmiſſa, quando ejus veritas eſt notoriæ, aut diſpenſanti certò conſtat. Quia id examen petitur, ne temerè diſpenſet, quæ temeritas ceſſat, exiſtente cauſa notoria, aut ſibi omnino certa. Quod latiùs probaui *lib. 8. de matrim. diſput. 35. n. 16.* Et loquens abſolutè de diſpenſatione tradit *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, libr. 6. c.27. n.7. in fine*.

10 Quòd ſi quæras, an exigatur cauſam eſſe manifeſtè juſtam, ut ſuperior valeat diſpenſare: an potiùs ſufficiat cauſa dubia. Poteſt dubium hoc referri ad ſufficientiam cauſæ quo ad effectum excuſandi à præcepti aut voti obligatione, abſque omni diſpenſatione. Et tunc conſtat ſufficere cauſam dubiam. Ut dicemus *n. 36. & 39.* Aut poteſt referri ad ſufficientiam cauſæ ad diſpenſandum in præcepto, aut voto, quorum obligatio eſt certa ſecludendo diſpenſationem. *Joannes à Metina tractatu, de pœnitentia, quæſt. de diſpenſatione ſuper confeſſione reuelanda, ad finem*, aſſerit peccare diſpenſantem, non tamen explicat an diſpenſatio ſit valida, necne. At verius credo eum non peccare. Quia in benigniorem partem eſt in eo dubio inclinandum, & credendum eſt facultatem ſuperiorum eſſe in hoc dubio: id enim petit bonum, & ſuaue Eccleſiæ regimen: eſſet enim multis ſcrupulorum occaſionibus expoſita poteſtas, ſi ad cauſas ſolas certas extenderetur, & vix auderent ſuperiores diſpenſare. Et ita apertè docent *Syluest. verb. Diſpenſatio, qu. 14. num. 20. in fine*. Ubi agens de prælatis regularibus, quibus permittitur diſpenſare in regulis, ſic ait: *diſpenſare poſſunt, quando eis conſtat de cauſa legitima, & etiamſi dubitent*. Quia ad clementiorem partem declinandum eſt. Et *Palacios 4. diſtinct. 38. diſputatione 3. col. 6. verſiculo Eſt igitur diſpenſatio, fol.865.* ubi dicens diſpenſationem exigere cauſam juſtam, addit hæc: *Et per cauſam hujuſmodi, ſubaudi, non euidenter juſtam, ſed probabilem, vel dubiam*. Quòd ſi tamen non verſaretur dubium circa cauſæ ſufficientiam, ſed an cauſa aliqua diſpenſandi exiſteret, neutiquam poſſet diſpenſare. Quia poteſtas diſpenſandi exigit neceſſariò cauſam, atque adeò extendi non debet ad dubium, an ſit aliqua cauſa; nec recta Eccleſiæ gubernatio petit eam poteſtatem, ſicut petit quando conſtat de cauſa, & de ſola ejus ſufficientia dubitatur.

11 Quidquid autem ſit de hoc, certum eſt ſubditum eſſe tutum, qui dubius de cauſa, rem totam exponit ſuperiori, ſi ille diſpenſet. Quod probaui *diſp. præced. n.6.*

12 Tandem ad argumenta contraria propoſita *nu. 2.* reſpondetur. Ad primum dicendum eſt, eam conditionem nequaquam imbibi in votis, ſed ſolùm reſpectu ſuperiorum gaudentium poteſtate dominatiua. Ad ſecundum dic, licèt utraque poteſtas detur in ædificationem, & non in deſtructionem, verſari in hoc diſparitatem. Quòd utraque detur juxta ſuam naturam: & ideò cum natura dominii ſit, ut dominus poſſit ad libitum validè re ſua uti, etſi peccare poſſit in illius abuſu, ita gaudens poteſtate dominatiua irritat validè abſque cauſa, quamuis fortè tunc peccet abuſu poteſtatis. Poteſtas autem ſpiritualis diſpenſandi de voluntate aliena petit ad valorem actus, ut prudenter ac juxta præſuptam domini voluntatem diſpenſatio fiat, ac proinde ſi temerè, & abſque cauſa fiat, eſt irrita. Ad ultimum dic, id tantùm concludere, non poſſe ſubditum ſua voluntate impedire poteſtatem ſuperioris ad diſpenſandum ex juſta cauſa in ſuo voto.

SUMMARIUM.

An juſta voti diſpenſatio exigat ſemper diſpenſationem pertinere directè ad bonum commune? n.13.
An eadem cauſa exigatur ad diſpenſandum in voto, & ad relaxandum juramentum in ſolum Dei honorem emiſſum? numero 14.